OCTAVII FERRARII
VENETA SAPIENTIA;

Sive

DE OPTIMO CIVITATIS STATU:

Proluſio XXXIII.



1872

PATAVII, M.DC.LXXV.

Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopolæ.

Superiorum Permiſsu.

Ampliſsimis ac Præſtantiſsimis
SENATORIBVS
ALOYSIO PRIVLO,
D. M. PROC.
NICOLAO MOCENICO
SILVESTRO VALERIO
D. M. PROC.
Gymnaſiarchis.

Octauius Ferrarius Felicitatem.

QVoniam feſſa ætas, & in extremas æui metas præceps, ſarcinulas colligere monet, & properare iubet, antequam è ſtatione diſcedam, petere à vobis commeatum conſtitui, & quæ de veſta publica re commentatus ſum, non diutius debere, illiſque nominis veſtri præſcriptione, ſacri velamen honoris obtendere.

Audax facinus, ac penè irreligioſum, peregrinum hominem, atque vmbraticum, hæc ſacra attrectare, ac veluti in ipſum publicæ ſapientiæ Auguſtale irrumpere, coram vobis de ſumma re diſputando, qui in optimà omnium ciuitate, ciuium optimi, ac præſtantiſsimi eſtis, quodque nobilius eſt,

ſtudiorum inſpectores, & ſeneſcentium literarum reparatores munificentiſsimi. Vt non minoris temeritatis argui poſſim, quam ille Sophiſta, qui coram Annibale, de re militari verba facere auſus eſt.

Verum vt ego audeam, vos Domini, præſtatis, qui non modo æquas aures his nugis aliquando, inter adoleſcentium ſubſellia, commodaſtis, ſed grauiſsimis monitis, ac fruge Cleanthæa dicentem inſtruxiſtis, hoc eſt, Delphicis antris propius admouiſtis. Qui illuc pedem intulit, illico ſacro veſtro inſtinctu celſior aſſurgit, extra ſe rapitur, & aliquid concipit grandius pectore mortali, ac veluti hominem exuit.

Veſtra ſunt igitur iſta effata: ex ore veſtra maxime veridico profecta Oracula, quæ vobis cum fide redditum eo. Si quæ de more perplexa, & intra argumenti maieſtatem abdita, non ſatis explicita, & euoluta videbuntur, id concuſſa interpretis mens excuſabit, quæ ad immenſum ſapientiæ veſtræ iubar caligat, & trepidat. Mouere iterum tripodas, & ſollicitare Pythiam licebit.

Vos interim lumina illa huc flectite, quibus literarius Orbis vtitur, & ſapientiæ templa ſerenantur. Tunc ego pronus in preces, ſuprema vota concipiam, ne vnquam tantorum Numinum ora, diuinam fidem ſpirantia, damnatis ſortibus conticeſcant: & quod vobis dicturus Apollo eſt, hic canam, omnium oraculorum certiſsimum expromens. Quandiu vos Gymnaſii fata regetis, ſtudia inopinato turbine concuſſa, a vobis ſpiritum, & ſanguinem, & patriam eſse receptura. Valete.

Patauij Nonis Nou. M. DC. LXXV.

OCTA-

OCTAVII FERRARII VENETA SAPIENTIA,

Sive

DE OPTIMO CIVITATIS STATV;

Proluſio XXXIII.

Ciuilis prudentiæ doctorum, præcipuè Ciceronis conſilium eſt, ne quis in aliena republica nimis curioſus eſſe velit. Quare duram hodie, & ancipitem prouinciam aggredimur, qui Cornelij Taciti, nulli vnquam ſeculo tacendi, veſtigijs inſiſtentes, de Reip. Romanæ fatali conuerſione, & libertatis funere diſputaturi, de Veneta Republica, poſt homines natos præſtantiſſima, ſub alio Cœlo nati, dicere audemus. Verum enimvero, & genio quodam, & inſita animo in hoc publicum reuerentia, ac veneratione, præcipue tot annorum obſequio, cultuque addictiſſimo, & eiuſdem Reipublicæ ingenti, atque inuſitata liberalitate, ac munificentia, mereri poſſe ſperamus, ne pro peregrinis habeamur.

Neque plane hoſpites in hoc ſtudiorum genere videri poſſumus, qui & in Politicorum libris mediocriter verſati ſumus, & Venetos ſcriptores non incurioſe excuſſimus, & cum primarijs ciuibus, ac Senatoribus conſuetudinem habuimus, & ab illis, non pauca didiciſſe gloriamur. Itaque fidenter veſtra hac prolixa humanitate freti, ad rem ipſam aggrediamur.

Non eſſe optimum Reipublicæ ſtatum, Regnum, ſiue Monarchiam, ſuo loco demonſtratum eſt. Ex quo ſequitur, vt hæc laus & præſtantia, aut Optimatum regimini, ſiue Ariſtocratiæ, aut Democratiæ, ſiue ſtatui populari debeatur. Ariſtocratia eſt, cum pauci proceres, ſiue optimates, inſigni quadam virtute prædıti, ita rempublicam ſumma poteſtate moderantur, vt ſua optimo cuique conſilia probent, publicoq;

bono ſtudeant, & ſecundum diſciplinam, quæ legibus continetur, agant omnia. Eſt enim ipſa reip. diſciplina finis eorum, & cum dignitate otium. Hæc vbi non reperiuntur, ſed factio quædam eſt, ſed aut nobilitatis tantum, aut diuitiarum ratio habetur, Oligarchia dicitur, ſiue paucorum dominatio.

In qua diſputatione non multum à præceptore Ariſtotele adiuuamur. Quippe qui pauca admodum de Ariſtocratia tradit: ſiue quod ea rara admodum eſſet, aut nulla, ſiue quia ea tractatio perierit, quod tradit Giſanius, vt multa alia in libris Politicorum hodie deſiderantur. Nam libro, & capite tertio Politicorum ait, ſe de partibus ciuitatis diſputaſſe, eo loco, quo de Ariſtocratia diſputauit, qui locus nuſquam apparet. Borraus etiam exiſtimat Ariſtotelem ſingulari libro de Ariſtocratia diſputaſſe, qui temporis iniuria interciderit. Sane eodem loco quærens, vtrum opifices, & ſellularij ſint ciues, ſubijcit, in quadam republica neceſſe eſt, vt ciuium numero habeantur, nempe in ſtatu populari: in quibuſdam verò nefas, *vt quam vocant*, inquit, *Ariſtocratiam, ſi qua eſt, & in qua honores tribuuntur ex virtute, & dignitate: neque enim fieri poteſt, vt qui vitam agit opificis, vel operarij, ſtudia virtutis excolat. Si qua eſt* inquit. Ergo dubitat, num illa reperiatur. Quapropter idem de republica diſſerens, duo tantum ferme rerumpublicarum genera commemorare ſolet, Democratiam, & Oligarchiam, & in his explicandis totus immoratur. Qua de cauſa ridet Bodinus Methodi hiſtoriarum cap. VI. eos, qui de Ariſtocratia diſputant, vt quæ nuſquam reperiatur. Non ergo dicenda optima reipublicæ forma, quæ magis optatur, quam reperitur.

Eodem libro philoſophus cap. VIII. definiens ciuem pro Rerum publicarum generibus, in Ariſtocratia ciuem eſſe ait, qui velit, & poſſit præeſſe, & parere, ad bene, beateque viuendum, ideſt ſcopo virtutis propoſito. In Oligarchia vero, qui idem norit, ſed ſcopo diuitiarum conſtituto. Sicut igitur aiebat Ariſtoteles, ſi vnus aliquis adeo virtutis exſuperantia præſtet, vt aliorum virtus, cum eo non ſit comparanda, huic Imperium tradendum eſſe, & in faſtigio collocandum: idem de paucis affirmat, qui virtute exſuperent ceteros. Sed ille rarus, aut nuſquam gentium, ita vero plures præſtanti virtute reperire, vel difficillimum, vel ſpei improbæ videtur, & ideo Ariſtocratia vel nulla, vel rariſſima.

Illud quidem certum eſt, Ariſtocratiam Regno præſtare, vt cap. II. oſtendit; quia pauci corruptelis minus ſint obnoxij, quam vnus aliquis: *ſi modo tot quoque viri boni reperiri poſſint, ex quibus ea conſtituatur. Nam raro multi*, vt ait Plato, *boni reperiuntur, pauci quoque non ita ſæpe*, tot quot Thebarum portæ, aut diuitis oſtia Nili. Et quanquam contra

opti-

optimates hoc argumentum afferatur, quod diſſidijs, & ſeditionibus ſint obnoxij, hoc non habere locum contra optimates reſpondet Ariſtoteles, quia viri boni, quantumuis multi, eodem tamen modo affecti, & vnus concors animus, tanquam vnius eſse ſolet: ſed difficile eſſe tales reperiri.

Quærens enim originem veterum rerumpublicarum, poſtquam de Regno egit, *cum multi*, inquit, *virtute pares paulatim exiſterent, & ciuitates fierent maiores, repudiato vnius Imperio, commune, & mutuum inuectum eſt, quæ Ariſtocratiæ, ac reipublicæ origo*. Subijcit: *Verum poſtquam & hi virtute pares pauci, omiſſo virtutis ſtudio, ad diuitias potius, & opes animum conuerterunt, nata quæ dicitur Oligarchia*: quæ ætate Ariſtotelis frequentiſſima, & cum Democratia, ferè ſola in vſu Reipublicæ.

Ceterum idem lib. IV. cap. VII. non vnum Ariſtocratiæ genus facit, & ex nomine, ac vocabulo ait, optimo iure eam rempublicam dici Ariſtocratiam, in qua ſola veræ virtutis habetur ratio, & viri abſolutè ſint boni. Alij enim abſolute boni, alij ex hipotheſi, ſiue comparatè, & vt in ſcholis loquuntur, ſecundum quid. Primum enim & ſummum, & optimum Ariſtocratiæ genus, in quo vnius virtutis habetur ratio: alterum, in quo non tantum virtutis, ſed diuitiarum: tertium in quo virtutis, & libertatis, ſiue populi, quod fuit olim Lacedæmone: quartum, in quo trium terminorum habetur ratio, & virtutis diuitiarum, & populi, ſiue libertatis, quod Catthaginienſium. Ex his quatuor generibus, prima Ariſtocratia eſt veriſſima, & germaniſſima. Reliquæ, vt recte ſtatuit doctiſſimus Giſanius, quanquam ita vulgo vſurpentur, nihil aliud, quam veræ, & principis Ariſtocratiæ aberrationes quædam. Ad hanc autem Ariſtocratiam ſecundum quid etiam diuitias requiri, ex eo probat Ariſtoteles, quod in diuites maxime cadat liberalis educatio, & nobilitas, ſiue generis virtus, quæ duæ res ad virtutem pertinent, nam & bene nati, & bene educati, facilius in viros bonos, & virtute præditos euadunt.

Ergo vel nulla eſt Ariſtocratia, vel rariſſima, & vt ait Ariſtoteles l. V. cap. VI. ſeditionibus obnoxia, quod pauci honorum ſint participes, ſicut & Oligarchia. *Nam Ariſtocratia*, inquit, *eſt veluti Oligarchia: in vtraque enim pauci ſunt, qui præſunt, etſi non eadem ratione. Nam in Oligarchia, genere, vel diuitijs præditi, in Ariſtocratia, virtute.* Quodque pro vno plures domini multiplicantur, & tot veluti Reges ſunt, quot optimates. Qui non raro tranſuerſi aguntur, dum vel in ſuos amore feruntur, vel in pares inuidia iactantur, vel proprij commodi ſtudio laborant. Et quod ſummum eſt, ſi Ariſtocratia ex abſolute bonis, & virtute præditis conſtat: ſi præter eos, qui præſident, alij virtute inſignes exiſtant ex populo, vel hi quoque in Imperij partem aſſumentur, vel non. Si excludantur, iniquum erit, & Oligarchia fiet: ſi admittantur, cum plures quoti-

dic tales fieri poſſint, virtute ſcilicet præſtantes, aucto numero, iam non erit Ariſtocratia, ſed Democratia, vel Politia exiſtet.

Verum duo ſunt, quæ Ariſtocratiam valde commendant. Duarum maximarum rerum publicarum, poſt Orbem conditum, exemplum, Romanæ, & Venetæ. Illa pulſis Regibus, per DCC, atque & amplius annos, ſub optimatibus, Imperium Orbis terrarum, iiſdem, ac Solis terminis circumſcripſit. Hæc ab ipſa origine Regum neſcia, ac ſeruitij expers, mille ducentos, & quod excurrit annos, intemerata, atque incorrupta libertate exegit, rerum publicarum, atque totius Orbis ornamentum, ac decus. Quid tu ergo, Ariſtocratiam eſſe optimam reipublicæ formam negare audebis, quæ duo hæc rerum publicarum miracula Orbi propagauit? Sed non ſunt iſta Rhetorum more exaggeranda, verum ad ciuilis prudentiæ trutinam, & Politicorum placita ſero expendenda. Noſtrum igitur erit deinceps videre, quis Romanæ reipublicæ ſtatus fuerit, vtrum optimatum, an popularis, tum qualis Venetæ reipublicæ forma, ſuis momentis examinare. Vt demum omnes intelligant, hanc, ſi non Imperij magnitudine, atque opibus, certe conſilio, & legum ſanctitate, ac diuturnitate, omnium optimam, ac præſtantiſſimam eſſe, beatoſque plane populos, quibus hoc Superi dederunt, vt ſub iuſtiſſimo, & clementiſſimo imperio conquieſcerent.

Vetus opinio eſt, Polybij grauiſſimi ſcriptoris auctoritate firmata, Romanæ reipublicæ ſummum imperium partim in populo, partim in Senatu, partim in Conſulibus fuiſſe, atque ita regimen mixtum, ac temperatum ex optimatibus, regno, & populo, quam optimam reipublicæ ſpeciem, diuque duraturam, ciuilis prudentiæ doctores tradunt. Eamque ſententiam, & Dionyſius Halicarnaſſæus, & Cicero, & Tacitus ſecuti ſunt: & ex recentioribus ſcriptor Florentinus, Contarenus, Morus, eidem ſubſcripſerunt.

Sed hæc magis dictu ſpecioſa eſſe, & plauſibilia, quem vera contendit Ioannes Bodinus vir acerrimi iudicij, & profundæ doctrinæ. Ad quod intelligendum prius videndum eſſe ſtatuit in omni republica, quis imperium magiſtratibus dare, & adimere, leges iubere, & abrogare poſſit: bellum indicere: pacem decernere: de capite ciuium iudicare: ad quem denique ab omnibus magiſtratibus ſit prouocatio. Vtrum vnus, an minor pars ciuium, an maior, quo percepto intelligi, qualis ſit reipublicæ ſtatus.

Ipſe exiſtimat, Romanorum ſtatum Polybij, ac multo magis Dionyſij, & Ciceronis ætate omnino fuiſſe popularem. Quod ſcilicet exactis Regibus, prima lex de Imperio lata ſit ad populum, vt annui Conſules à populo crearentur: ex quo conſtat, omne imperium Conſulare à populo peti, & impetrari debuiſſe. Cum præterea Tribunicia poteſtas, vt

infra dicemus, maior fuerit Conſulari. Neque in Senatu Ariſtocratiæ ſpecies, cum ius omne, & imperium à populo haberet. Quod Senatores populi arbitrio, vel iuſſu eligerentur: poſtea à cenſoribus, qui à populo creabantur. Clare Dionyſius L. I I. *Non enim*, inquit, *Senatus dominus eſt, ſed populus*. Vnde illud frequenter apud Liuium: *Senatus decreuit, populus iuſſit*. *Neque vero quicquam ſacroſanctum eſſe potuit*, inquit Cicero, *niſi quod plebs, populusve iuſſit*.

Verum quidem eſt, inquit Bodinus, quoniam periculoſum videbatur, conſilia reip. manare in vulgus, quod neceſſe erat, ſi omnia decreta Senatus à populo ſancirentur, Senatui à populo tributum eſt, vt cetera, quæ ad rempublicam pertinerent, adminiſtraret, excepta creatione Magiſtratuum, legum ferendarum, belli, ac pacis, vitæ, ac necis poteſtate, & extrema prouocatione, quam propter imperij maieſtatem populus ſibi reſeruauit. In reliquis ne Senatus conceſſa poteſtate abuteretur, Tribunis, magiſtratui populari permiſſum eſt, aduerſus omnia Senatus conſulta intercedere.

Si ergo omnia Senatus & magiſtratuum imperia, in arbitrio, & voluntate populi erant, quis neget ſtatum fuiſſe omnino popularem? His adijcit alteram legem à P. Valerio Bruti collega latam, quam Liuius appellat *præſidium vnicum Romanæ libertatis*: qua primo capite cautum eſt, vt aduerſus omnes magiſtratus ad populum libere prouocaretur: altero capite, ne quis magiſtratus ciuem Romanum aduerſus prouocationem verberaret, necaret, aut pecunia multare vellet. Deinde ne quis imperium haberet, niſi cui à populo datum eſſet, adiecta capitali pœna.

Quod autem belli omne ius penes populum eſſet, nihil attinet dicere in re manifeſta. Vnum modo exemplum adducemus ex Liuio lib. XXXI. Poſt bellum Punicum decreuerat Senatus bellum aduerſus Philippum, Macedoniæ Regem, ſed populi conſenſus requirebatur. *Rogatio*, inquit Liuius, *de bello Macedonico, primis Comitijs, ab omnibus ferè Centurijs antiquata eſt*, id eſt Lex de eo bello ferri non potuit. *Id feſſi diuturnitate, & grauitate belli, ſua ſponte homines, tædio laborum, periculorumque fecerant*. Quid tum Patres? ægre tantum eam rem paſſi ſunt, nec aliud facere potuerunt, quam Conſules inducere, vt acri oratione populum accenderent, qui ea oratione motus, bellum iuſſit.

Cur ergo dicet aliquis, iniuſſu populi tot ciues à Senatu, plures etiam à Magiſtratibus ſupplicio affecti? Huic obiectioni, ait Bodinus reſponderet Iuriſconſultus, non quid Romæ fiat, ſed quid legitime fieri debeat, ſpectandum eſſe. Neque enim ex abuſu, ſed, ex ipſis reipublicæ inſtitutis, iudicandum eſſe de ſtatu ciuitatis: Quare licebat vnicuique, eum Magiſtratum, qui talia feciſſet, maieſtatis accuſare, vt Ciceronem Clodius perduellionis apud plebem damnauit, quod de coniuratis Catilinæ,

in

iniuſſu populi ſupplicium ſumpſiſſet. Qualis ergo poteſtas Conſulum, & Senatus: quam Tribunitia interceſſio infringebat, cum ſæpe legatur eoſdem Conſules à Tribunis in vincula coniectos fuiſſe?

Ex quibus omnibus clare apparet Rempublicam Romanam id temporis fuiſſe mere popularem, hiſque Bodinus, Polybij, Dionyſij, & Ciceronis, de temperato reipublicæ ſtatu, opinionem conuellit. Inde gradum facit, & qui nam Venetæ reipublicæ ſtatus ſit, accurate diſputat, tandemque eo deuenit, vt Democratiam, ſiue ſtatum popularem eſſe affirmet. In quo vir ille doctiſſimus à vera ratione aberrat. Ait enim ab Ariſtotele, nonniſi tres illas Imperij formas memoratas poni, & nihil aliud præter illas fingi poſſe, ex quo illam temperationem, & mixtionem damnare videtur. Sed nemo mediocriter in Ariſtotele verſatus ignorare poteſt, huiuſmodi reipublicæ, & ſtatuum mixtionem admitti, & de ea fuſe diſputare, vt cum de Politia, de qua infra agemus, differit, quæ ex Ariſtocratia, & Democratia temperatur, & coaleſcit. Perperam igitur damnat temperationem reipublicæ formarum, quam Ariſtoteles, & tot alij commendarunt.

In eo quoque non tam Bodini, quam communis error eſt, quod Democratiam tertium reipublicæ ſpeciem facit. Cum ab Ariſtotele non ſemel, non pro republica, ſed pro reipublicæ aberratione, ſiue vitio ponatur quanquam eius ætate eſſet frequentiſſima, itaut de ea ferme, & Oligarchia, toto opere Politicorum, ex inſtituto diſputet. Si igitur Democratia eſt aberratio ex Ariſtotele, quænam tertia ſpecies reipublicæ legitima, & germana dicenda eſt? Nempe quæ ab Iſocrate, & ab eodem Ariſtotele Politia, ſiue reſpublica per excellentiam dicitur. Nos tamen cum ceteris, vulgatum iam, & receptum Democratiæ vocabulum vſurpamus.

Quod ad mixtionem attinet, Ariſtoteles lib. II. cap. IV. hæc habet: *Melius igitur ſentiunt, qui plures miſcent: nam ex pluribus concreta reſpublica eſt melior.* Quod vero ad nomen Democratiæ, quæ aberratio eſt, & vitioſa reſpublica, idem lib. III. cap. V. quærit, quæ numero reſpublicæ, & quot ſint: & primum, quænam rectæ, tum quæ aberrationes, ſiue formæ vitioſæ. *Quoniam autem reſpublica*, inquit, *eſt adminiſtratio publica, ea autem adminiſtratio eſt ciuitatum princeps, neceſſe eſt, principem eſſe, vel vnum, vel paucos, vel multos. Cum vnus, vel pauci, vel multi, ad commune quidem bonum præerunt, has quidem rectas neceſſe eſt eſſe reſpublicas. Eas vero, quæ ad priuatum vel vnius, vel paucorum, vel multitudinis commodum, eſſe aberrationes. Solemus autem appellare vnius imperium id, cui bonum commune eſt propoſitum, Regnum: paucorum plurium tamen vno, Ariſtocratiam, ſiue optimatum regimen: vel quia optimi imperant, vel quia quod ciuitati, & eius participibus optimum ſpectent. Cum*

autem

autem multitudo ad commune bonum præeſt, communi omnium rerumpubli-carum nomine, Politia, ſiue reſpublica nominatur. Aberrationes autem, ſiue vitioſæ formæ, Regni quidem eſſe tyrannidem, Ariſtocratiæ Oligarchiam, Politiæ Democratiam. Nam tyrannis vnius eſt imperium, ad bonum eius, qui imperat: Olygarchia ad bonum diuitum: Democratia, ad bonum pauperum.

Non minorem ergo iniuriam reipublicæ Venetæ facit Bodinus, cum eam Democratiam appellat, quæ eſt aberratio, ſiue reſp. vitioſa (licet alij quoque hoc nomine abutantur) quam Gifanius, qui ad caput ſeptimum libri quinti Politicorum, Venetam rempublicam ait eſſe Oligarchiam. Videamus ergo, quid ſit Politia, & facile intelligemus, ex quo genere ſit Veneta reſpublica. Ariſtoteles lib. IV. cap. VIII. *Eſt igitur,* inquit, *Politia, ſiue reſpublica, temperatio Oligarchiæ, & Democratiæ. Solent autem eas quidem, quæ ad Democratiam inclinant, vocare reſpublicas: quæ ad Oligarchiam potius, vocare Ariſtocratias.* Ideſt Politia tale reipublicæ genus eſt, in quo ad rempublicam gerendam, & magiſtratus capiendos, aditus pateat, tam pauperibus, quod eſt ex Democratia, quam diuitibus, quod eſt ex Oligarchia. Supra autem capite ſecundo dixerat, Democratiam eſſe minime malam, & maxime tolerabilem, quia minimum diſcedit à reipublicæ rectæ forma, cui veluti ex altera parte reſpondet, ideſt Politiæ. *Nam inter Democratiam, & Politiam adeo exiguum eſt diſcrimen, vt ſæpe inter ſe confundantur.*

Eſt igitur Veneta reſpublica non ſimpliciter Democratia, vt credit Bodinus, ſed Politia, ideſt ex Ariſtocratia, & Democratia ita mixta, & temperata, vt magis tamen ad Democratiam inclinet, & ideo Politia, non Ariſtocratia, vt plerique omnes exiſtimant. Vt ſit, quod Iſocrates in Panathenaico ait. *Democratia omnium vtiliſsima, humaniſsima, & æquiſsima, non quæ temere miſceat omnia, & in petulantia libertatem, in licentia quidlibet agendi, felicitatem collocat; ſed quæ talia improbat, & Ariſtocratia vtitur. Lycurgus Athenienſes imitatus, Democratiam conſtituit. Ariſtocratia temperatam.*

Argumenta quæ a Bodino afferuntur, vt oſtendat eſſe Democratiam pro nobis militant, qui ad Democratiam maxime vergere concedimus. Prima lex imperij popularis omnium maxima eſt, quam Brutus, & tres Valerij tulerunt, vt eſſet ab omnibus magiſtratibus prouocatio ad populum. Hanc quoque legem vt omnium antiquiſſimam naſcente republica latam ſcribit Cardinalis Contarenus, ſapientiæ, & eloquentiæ ſtudijs, omnem laudem ſupergreſſus. Negat enim patriciorum, & plebeiorum initio diſcrimen fuiſſe, cum ciues omnes eodem cenſu cenſerentur. Quod etiam poſtea obtinuit, licet paradoxum videatur. Quis enim populus, ad quem prouocatio? Nempe, vt non ſolum Bodinus,

ſed

ſed ipſe Contarenus ait, magnum Conſilium, ſiue Comitium, ſcilicet quidam nobilium populus. Verba Magni Cardinalis ſunt. *Vniuerſus ergo hic ciuium conuentus, ſeu vt dicitur Magnum hoc Conſilium, penes quod ſummum totius reipublicæ ius eſt, & à quo etiam Senatus, Magiſtratuumque omnium auctoritas pendet, in hac republica vicem refert popularis ſtatus.*

Cum igitur Magnum Conſilium, magiſtratus omnes, ac imperia tribuat, Senatum legat, X viros, LX viros, præconſultores, & reliquos: leges iubeat, belli, ac pacis, vitæ, ac necis poteſtatem habeat, vt videre eſt apud Bembum, in bellis ſuſceptis aduerſus Iulium II. & Ludouicum Gallorum Regem, qualis ſit reipublicæ ſtatus apparet, nempe Politia, ex Ariſtocratia, ad ſtatum popularem vergens. *Ac tametſi*, inquit Bodinus, *raræ ſint à X viris, & XL viris prouocationes, nihilominus interdum quæſtiones capitales, propter ciuium dignitatem, aut ſceleris atrocitatem, ad Magnum Conſilium delatas ex eodem Bembo confirmatur, vt in iudicio Antonij Grimani, qui propter generis nobilitatem, ac potentiam, in Magno Conſilio iudicatus eſt, & exilio damnatus: licet poſtea patriæ redditus, ſummum faſtigium obtinuerit.* Ex quibus ſequitur, magnam, & præcipuam poteſtatem penes idem Conſilium, ideſt populum nobilium eſſe.

Sed quamuis ad ſtatum popularem inclinet, non tamen plane, & mere popularis eſt, vt Athenienſis, & Romana, quæ cauſa earum interitus, ſed multum ex Ariſtocratia trahens, vt merito dubitatum ſit, ob vtriuſque mixtionem, quis ſtatus ſit appellandus. Sane apud Guicciardinum, cum ageretur de conuertendo ſtatu reipublicæ Florentinorum, Veſpuccius exemplum Vrbis Venetæ proponebat, tamquam optimatum, ſiue Ariſtocraticum: contra Soderinus, qui populare imperium tuebatur, eorundem Venetorum exemplum adducebat, cum eos qui Venetijs rempublicam gerunt, ſolos ciues eſſe diceret, ſiue populum Venetum.

Sed vt paulo ante diximus Athenienſis, & Romana reſpublica interierunt, quod merè populares eſſent. Veneta præſtantiſſimo conſilio, & minus popularis, & multum ex Ariſtocratia trahens, cum patricios certis familijs ad rempublicam admittit, quod eſt Ariſtocraticum. Quamuis Ariſtoteles Oligarchicum appellet: verum vt ſupra innuimus, Ariſtocratiam non ſtricto modo ſumimus, cum ſola virtus eius ſcopus eſt, quod fortaſſe nuſquam reperitur: ſed lato modo, vt eſt Ariſtocratia minus perfecta. Quæ ſcilicet iure, plebem, opifices, & mercenarios excludit, omnium Politicorum, præſertim Ariſtotelis præcepto. De quo paulo poſt, cum cura diſputabimus, cum hanc præcipuam interitus cauſam Romanæ reipublicæ fuiſſe oſtendemus, quod penes plebem imperium eſſet, ideſt reſpublica merè popularis.

Eſt igitur Ariſtocraticum, rempublicam à patricijs adminiſtrari, ex-

cluſa plebe, cum Ariſtocratiæ ſcopus ſit virtus. *Nobilitas autem ad virtutem pertinet*, vt ait Ariſtoteles. *Nam bene nati, & bene educati facilius*, vt ille ſtatuit, *in viros bonos euadunt*. Cum autem nobilitas ſit *virtus generis, & veteres diuitiæ*, etiam iſtæ requiruntur. Tum quia ciuitas ex ſolis pauperibus exiſtere non poteſt: tum quia, vt ait idem, *in diuites maxime cadit liberalis educatio, optimus autem* inquit *reipublicæ ſtatus, cui propoſita eſt virtus præſtans, cum liberali educatione*.

Ad has duas res neceſſariæ ſunt, cum natura, ſiue bona indoles, tum externarum rerum, vt bonorum, & diuitiarum adiumenta, & copiæ, ſine quibus liberalis educatio eſſe non poteſt, imo ne felicitas quidem. Nam idem lib. 1. Ethicorum ait, *aut nullo modo, aut certe non facile fieri poſſe, vt res magnas, & præclaras gerat is, qui à re familiari ſit imparatus*. Nam neque animum ad præclaras artes libere applicare poterit, cum ei quærendum ſit, vnde viuat, & vnde familiam alat: & conſtat, quaſdam virtutes eſſe, quæ ſine opibus exerceri non poſſunt, cuius generis eſt, liberalitas, & magnificentia.

Itaque & multi nobiles ſcriptores affirmarunt, & res ipſa comprobat, moderatis diuitijs opus eſſe ad felicitatem. Nam vt ait poeta, *haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat, res anguſta domi*. Moderatæ, inquam, diuitiæ ad rempublicam neceſſariæ. Nam Ariſtoteles lib. IV. cap. III. de optima republica diſputans, rem ex principijs moralibus repetit, ſcilicet *vitam beatam eſſe ex virtute non impedita: virtutem autem eſſe mediocritatem, & ideo optimam rempublicam, in qua ciues ſint mediocres, quam vel pauperes, vel nimium diuites, vtrique vel ſinguli*. Cum igitur in omnibus ciuitatibus, partim quidem valde diuites ſint, partim valde pauperes, tertij inter hos medij, & medium ſit optimum, bonorum & facultatum mediocritas eſt optima, & mixtio Ariſtocratiæ, & Democratiæ.

Nam nimiæ diuitiæ, opes, vires, aliaque id genus corporis, & fortunæ bona, inſolentiam pariunt: hinc iniuriæ, & contumeliæ in alios. Contra nimia paupertas, ferme ad rem attentiores, fures, fraudulentos, inuidos facit. *Pauperies ingens opprobrium iubet. Quid libet facere, aut pati*. Vnde ex his duobus extremis, diuitijs, & paupertate, duorum maleficiorum, & iniuriarum genera oriuntur, contumeliæ ex diuitijs, fraudes, & furta ex paupertate.

Nimis diuites parere, neque volunt, neque norunt, idque etiam pueris continuo veluti innaſcitur. Nam propter indulgentiam in ſcholis imperata facere recuſant: qui vero paupertate premuntur, nimis ſunt abiecti: quare nec imperare norunt, & ſeruiliter parent, diuites herili imperio dominari volunt. *Fit ergo ciuitas*, ait Ariſtoteles, *ſeruorum, & dominorum, non liberorum, & partim quidem inuidentium, partim contemnentium*,

tium, quæ longiſſime abſunt ab amicitia, & ciuium ſocietate, quæ ex æqualibus conſiſtit. Inter inuidentes, & contemnentes nulla poteſt eſſe amicitia.

Optima igitur mediocrium reſpublica, & ideo Veneta præſtantiſſima. Cuius, ſicut mediocrium rerumpublicarum, præcipua laus eſt, quod ſola ſeditionum, quæ imperiorum labes, & pernicies, expers, & proinde ſtabilis, & maxime diuturna. Eo autem maior, & prope ſingularis commendatio eſt, quod, vt ait Ariſtoteles, hæc reſpublica media, vel nunquam reperiatur, vel admodum raro. Nam ſi excellant opulenti, fit Oligarchia: ſi autem pauperes, & multitudo, Democratia. Quam cauſam fuiſſe diximus, cur Ariſtoteles ferme de his duabus tantum diſputauerit, quia eæ tantum in vſu erant.

Sunt igitur priuatorum diuitiæ mediocres ad rempublicam neceſſariæ, cum propter liberalem educationem, vt diximus, tum quia ſunt virtutis inſtrumenta, & adiumenta. Secundo, quia ſic ciues non ita erunt ſolliciti de rebus priuatis, & victu comparando, quin partem temporis, & operæ reipublicæ ſint daturi, vtque legationes, magiſtratus, & præfecturas terra, marique debito ſplendore, ac magnificentia tueantur: quodque in Iudicibus paupertas periculoſa eſt, diuiteſque minus pecunia, & affectibus circumaguntur, quam pauperes: horum enim aliquos magis fames, quam fama ſollicitos habet.

Sed ſicut diuitiæ requiruntur, quod eſt Ariſtocraticum, ita ſapientiſſimè à Veneta republica inſtitutum eſt, vt etiam pauperes ex eodem ordine, ad omnes honores, magiſtratus, & imperia admittantur, quod eſt populare. Contra quam Romæ, & Athenis factum eſt, licet ſtatu mere populari. Eſt inquam Democraticum, omnes ab omnibus imperia conſequi, & quidem ſine vlla ratione cenſus. Cum apud Athenienſes magna ratio cenſus haberetur, nec quartæ claſſi pauperiorum, quæ ceteras multitudine ſuperabat, aditus eſſet ad honores.

Sed Romæ cenſu equites, cenſu Senatores, cenſu Iudices creabantur, quod demum eas reſpublicas euertit. Egregie Plinius Lib. XIV. *Poſteris laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi cœptus eſt: Iudex fieri cenſu: magiſtratum, ducemque nihil magis ornare, quam cenſus.* Nullus enim poterat eſſe Iudex, cum ex equitibus, & Senatu legerentur, qui quadringenta, aut duodecies H.S. in cenſu, ſiue bonis non haberet, ideſt decem coronatorum millia, in Senatu autem triginta, ſine quibus Senator eſſe non poterat. Atque ita virtus cum paupertate excludebatur. Pauperes ad honores admitti, populare, ſed tantum ex ordine patricio, Ariſtocraticum.

In quo quidem pauperibus, & tenuioribus prudentiſſimo conſilio prouiſum eſt, cum ex ijs ferme Quadraginta viri rerum ciuilium, & capitalium

pitalium deligantur; quibus propterea honorarium ex ærario datur, quoties ſedent, iure quidem merito, ne dum reipublicæ operam dant, à rebus domeſticis abducti, anguſtijs rei familiaris premantur. Sed ſingulare, ac prope diuinum conſilium eſt, vt ijdem quadraginta viri rerum capitalium, in Senatum inducantur, hoc eſt ad reipublicæ ſummam adhibeantur. Vt ſcilicet mirabilis illa mixtio, & temperatio fiat, diuitum, & pauperum in ampliſſimo ordine, & proinde Politia, & per excellentiam reſpublica. Quæ ſchola hic, quæ Græcia, quid Plato, & Moyſes perfectam reipublicæ formam anxie quærunt? Si eſt aliqua, aut fuit vnquam, eam Venetam eſſe, vel ipſi parum amici fatebuntur. Eludant igitur, qui hanc aſſentationem eſſe iactant. Nulla hic blandimenta, nec fucus mangonius: ſed res omnium ſeculorum præconio, & infallibili diuturnitatis argumento confirmata. Quanquam is eſt fulgor, eaque maieſtas, vt ab obſcuri hominis teſtimonio, nihil illi ſplendoris accedere poſſit.

Fieri tamen non poteſt, vt in magno patriciorum numero, multi non ſolum pauperes, ſed etiam egeni reperiantur. Quibus tenerrima reip. viſcera perpetuo conſulunt, integras familias alendo, plurimiſque victum, veſtitum, & educationis impenſas largiendo, vt totum fere D. Marci patrimonium, per Procuratores ampliſſimos, inaudito pietatis exemplo in hanc curam, & innumerabilem pauperum ciuium multitudinem erogetur.

Ac ne quis nos reprehendat, quod diuitias ad felicitatem neceſſarias dixerimus: ſicut paupertatem virtutis magiſtram, bonæ mentis comitem, ac virorum fæcundam fatemur, eundemque eſſe poſſe pauperem, & virum bonum, ita viros bonos, de quorum paupertate hiſtoriæ loquuntur, dicimus, ſi modicas opes habuiſſent, pluribus benefacturos, atque eo ipſo feliciores futuros fuiſſe. Vetus verbum eſt, facilius reperiri, qui diuitias reprehendant, quam qui faſtidiant. Quid igitur, dicetis, nullus ne & pauper eſſe, & felix poteſt? Si pauperem intelligimus, cui ad viuendum neceſſaria deſunt, virum bonum etiam hunc non negamus, non autem bonum ciuem, ac felicem, ijs exceptis, qui religionis cauſa paupertatem, cui nihil deeſt, vouerunt, eſſe poſſe contendimus. Tum quia deſunt inſtrumenta exercendæ virtutis: tum quia ciuis eſt, qui poſſit, & velit parere, atque imperare: quomodo egenus, & inops magiſtratum gerere, poterit atque eius dignitatem tueri, & contemptum effugere? *Nil habet infelix paupertas durius in ſe, Quam quod ridiculos facit homines.*

Sed vt ad Venetam Politiam, & admirabile temperamentum redeamus, Ariſtoteles Lib. IV. cap. XXIV. Politicorum Ariſtocratiæ proprium eſſe ait, magiſtratus non ſorte, ſed ſuffragijs demandare: populare au-

tem

tem eſſe, vbi ſorte creantur. At Politiæ, ſiue reipublicæ mixtæ, vbi magiſtratus partim ſortitò, partim ſuffragijs deſignari ſolent: quod Venetijs obtinet. Populare eſt, ciues omnes honorum eſſe capaces, ſed per vices. Cum autem omnes eodem tempore magiſtratus gerere non poſſint, inſtitutum eſt, vt res ſorti permittatur, ne quis ſe contemptum, & prætermiſſum queratur. Hinc vrnæ in Comitio cum pilis aureis, & argenteis. Sed ne ſors tantum, quæ ſæpe indignis fauet, locum habeat, tum adhibentur ſuffragia, quod eſt Ariſtocraticum, vbi non ſors, ſed virtus in mandandis magiſtratibus reſpicitur. Id quod in Sereniſſimi Ducis creatione, per ſortes, & ſuffragiorum vices, humanum captum ferè exſuperat.

Id aperte Contarenus confirmat Lib. 1. de Republica Venetorum: *Quamobrem*, inquit, *in Republica Veneta, ita magiſtratus inter ciues diſtribuuntur, vt quoad fieri poſſit omnes familiæ, agnationeſque; honorum, munerumque reipublicæ ſint participes. Ea tamen ratione non quiuis, ſed tantum hi viri, qui & probitate, & prudentia excellunt, rempublicam adminiſtrent, & muneribus publicis fungantur. Prior inſtitutio populare quoddam ſapit, altera vero optimatum gubernationem. Nam ſorte eligi magiſtratus populare eſt: in eo enim ſtatu ciuitatis, iuſtum, atque æquum, æqualitate arithmetica metiuntur: ſed Ariſtocraticum ex æqualitate Geometrica, vt is, qui virtute præſtare, iudicio, conſilio exiſtimatus fuerit, potior habeatur, reliqui repulſam ferant, qui indigniores habiti ſint. Ita vt in mandandis magiſtratibus, id quod eſt Ariſtocraticum, ſuperare rationem popularem videatur.* Hactenus ille.

Sed auocat nos; & in ſe conuertit, celſiſſimi, & ſapientiſſimi Senatus admiranda maieſtas, & aliquid humano conſilio maius, atque auguſtius oſtendit. Nam Romæ Senatores perpetui fuerunt, vt & Lacedæmone, quod Ariſtoteles iure reprehendit, Venetijs annui ſunt, ita vt quotannis denuo eligantur, & quidem à Magno Conſilio, quod eſt populare. Cuius præclari inſtituti non vna ratio eſt. Primo ne inſoleſcant homines perpetua ſumma poteſtate, & fiat Oligarchia. Secundo ne potentiores offendant, aut contemnant ciues, qui ſunt tenuiores, à quibus ſcilicet in ampliſſimum ordinem leguntur, quod ad concordiam optime inſtitutum eſt. Tertio, quia cum aliqui ferme quotannis prætermittantur, cum alij ferme ſuffragijs confirmentur, vix dici poteſt, quantum hoc ciuium induſtriam acuat, nam prætermitti, pro ignominia habetur. Itaque ingens certamen eſt de virtute, & probitate inter ciues, quæ vna viam ad Senatum aperit, quod eſt Ariſtocraticum, & conciliandæ per honeſta ciuium beneuolentiæ rectiſſima ratio, quod eſt populare. Sicut ex Ariſtocratia eſt, quod magna, vt res poſtulat Veneti Senatus poteſtas eſt, vt mediocris Romæ, Athenis minima. Quod indicat,

illas fuiſſe merè populares.

Sunt quidem publici Aduocatores, libertatis patroni, & cuſtodes: nullus tamen impudens Demagogus, aut procax Tribunus concionum procellis, ac tempeſtatibus populum exagitat, & flabris ſeditionum accendit, ac iura ſubuertit. Sed liberè Senatus omnia perficit, præter illa, quibus Imperij maieſtas continetur. Romæ, atque Athenis, nihil inconſulto Senatu ad populum ferri poterat: optimè, ac prudentiſſime Venetijs, cautum eſt, vt non modo ad magnum Conſilium, ſed ne ad Senatum quidem vllius rei rogatio feratur, ſine conſilio ſexdecim virorum, quod Collegium dicitur, per eos qui magni ſapientes iure appellantur, & ſunt, & ab Ariſtotele Probuli, ſiue Præconſultores dicuntur. Lib. IV. cap. XIV. & XV.

Et vt ad magnum Conſilium redeamus, cum ſoli in eo ciues ſint, vt recte ſecutus ciuis definitionem ab Ariſtotele traditam docet Contarenus, proprie, & ſtricte loquendo, ſola ciuitas eſt magnum Conſilium, & nobilium populus. Eſt etiam ſecundus ordo ciuium, qui reipublicæ, & ipſi participes ſunt: ex quibus Magnus Cancellarius, ampla poteſtate, quod eſt populare, tot inſuper ſcribæ, & à ſecretis, ex antiquiſſimis familijs, fide, induſtria, ac pietate in patriam, nulli concedentes: qui & ipſi ciues, ſed laxe definitionem ciuis accipiendo.

Neque obſtat, vt inquit Bodinus, ingens illa reliquorum incolarum, opificum, & peregrinorum multitudo. Nam etiam Athenis ſub Pericle XIV. millia, & quingenti cenſi ſunt, cum eſſent decem peregrinorum millia, & ſi Athenæo credimus XL millia ſeruorum. Cum igitur Athenis, in tanto peregrinorum, & ſeruorum numero, tanta ciuium paucitas imperium haberet, quis neget ea ratione Venetorum rempublicam eſſe Politiam, & ad ſtatum popularem ex Ariſtocratia vergere, licet duo ferme millia patriciorum numerentur, olim etiam plura. Cum Ariſtoteles neget, ciuitatem eſſe, quæ plures decem millibus ciuium complectatur: Plato quinque millibus, & quadraginta definit.

Quæ cum ita ſint, minime ambitioſe à Contareno Cardinali pronunciatum eſt, *cum omnes Venetæ Vrbis ſitum ſtupore quodam perculſi admirentur: qui cum ita opportunus, & tam tutus ſit, vt ad eam inuadendam, atque obſidendam difficillimus, & maxime incommodus hoſtibus acceſſus ſit: contraria tamen ratione aptiſſimus ad exportanda, importandaque omnia, ſine quibus ſufficere ſibi ciuitas nequeat, tum ad neceſſitatem, tum ad molliorem, atque elegantiorem quendam vitæ cultum.* Cum hæc, inquam, attoniti admirentur, & fluitantem pelago vrbem, Cœlo certantia tecta, ac totius humani generis conuentum, eſſe tamen aliud quiddam in ea Vrbe, quod longe omnium præſtantiſſimum cenſendum ſit ijs, qui ciuitatem, non tantum mœnia, & domos eſſe putant, ſed ciuium conuentum, atque

ordinem potiſſimum, hoc ſibi nomen vindicare exiſtimant.

Id ſcilicet eſſe Reipublicæ rationem, & formam, ex qua beata vita hominibus contingit. Hoc eſſe eximium illud, ac præclarum, quo Venetiæ maxime enitere, atque omnem antiquitatem ſuperare videantur. Nam & ſi compertum eſt, nonnullas reſpublicas extitiſſe, quæ imperio, ditione, tum militiæ diſciplina, ac belli gloria Republica Veneta longe præſtiterint, nullam tamen fuiſſe, quæ inſtitutione, ac legibus, ad bene beateque viuendum idoneis, cum Veneta conferri poſſit: quo effectum eſſe perſpicimus, vt neque adeo diuturna vlla, poſt hominum memoriam perſtiterit. Ita quod Sanazarius de Vrbe olim cecinit, illam homines, hanc poſuiſſe Deos, non de mœnibus, ac tectis, domibuſque, ac templis, ſed de ciuitate, ideſt de reipublicæ ratione, ac forma, accipiendum eſt. Quapropter facile eſt reſpondere quærentibus, cur vna omnium ab Orbe condito, rerumpublicarum maxime diuturna fuerit: nempe ex optima eius conſtitutione, ac temperatione id eueniſſe, quodque de illa verius vſurpari poſſit, quod Titus Liuius de Romana prædicat, nullam vnquam ciuitatem fuiſſe, in quam ſerius duæ rerumpublicarum peſtes, ambitio, & auaritia immigrauerint.

Vere enim idem Contarenus ſtatuit, primos illos Venetos, à quibus tam præclaram Rempublicam accepimus, omnes ad vnum conſenſiſſe, in ſtudio patriæ firmandæ, atque amplificandæ, nulla prope priuati commodi, & honoris habita ratione. Huiuſce rei coniecturam facile fieri poſſe, minime ſcilicet ambitioſos fuiſſe Venetos homines, ſed patriæ commodo tantum ſtuduiſſe, quod nulla, aut admodum parua antiquorum monumenta Venetijs extent, cum tamen domi, foriſque præclare ſe geſſerint, optimeque de republica meriti fuerint. Non ſepulchra ambitioſa, non equeſtres, & pedeſtres ſtatuas, niſi exterorum Ducum, & Legatorum, quibus militare imperium in continenti commiſſum eſt. Scilicet maius eſt, iſta largiri, quam accipere.

Vnum Andreæ Contareni Ducis vere incomparabilis exemplum in hæc verba adducit. *Genuenſi bello grauiſsimo, ac longè omnium periculoſiſſimo, cum Dux hic Reipublicæ præeſſet, incredibili ſapientia, animique magnitudine ſingulari rem patriam ſeruauit, hoſteſque iam victores, maxima clade illata profligauit, omneſque ad vnum, aut trucidauit, aut captiuos fecit. Conſeruata patria, re aucta, confirmataque republica, diem extremum clauſit, ac teſtamento cauit, ne eius ſepulchro, quod vſque ad hanc diem viſitur, iuxta templum D. Stephano dicatum, vlla Ducis inſignia, vllave gentis Contarenæ affigerentur. Ne nomen quidem tam magni Ducis inſcriptum legitur. Qua eius modeſtia effectum eſt, vt viri celeberrimi, principiſque ſpectatiſſimi ſepulchrum plerique ignorent, cui vni ex omnibus Ducibus ſingulari exemplo in Magno Comitio elogium publice poſitum eſt.*

Procul

Procul autem auaritiam, alteram imperiorum tabem longe abſuiſſe perpetuus inauditæ, ac pluſquam Regiæ munificentiæ tenor teſtatur: tum publicis admirandis operibus, tum profuſa in Reges, Cæſares, ac Pontifices, hoſpitio excipiendos liberalitas, ac demum in literas, ac diſciplinas, & literarum cultores incredibilis beneficentia abunde declarat. De qua nos alias aliquid parce, ac ieiune delibare auſi ſumus.

Quo referendum eſt aliud inſtitutum perſanctum, atque admirabile, quod ex Magiſtratibus, Præfecturis, & Legationibus, non modo vllus quæſtus redundat, ſed magni ſumptus faciendi, ad eorum dignitatem, ac ſplendorem tuendum. Ex quo mixtio illa, de qua dictum eſt, optimatum ſtatus, ac popularis conflatur. Nam omnibus quidem ad honores aditus patet, quod eſt populare, eos tamen ferme capiunt optimates, & ditiores, quod Ariſtocraticum. A tenuuioribus non expetuntur, quod ſint ſuſtinendis impenſis impares: neque tamen inuident, ab alijs geri, cum & lucro careant, & non niſi magna impenſa procurentur.

Sed primam, ac præcipuam interitus rerumpublicarum cauſam ſeditiones eſſe, inter omnes conuenit. Eas autem ex auaritia, & ambitione exiſtere, nemini dubium eſſe poteſt. *De quibus autem rebus ſeditionem moueant*, inquit Ariſtoteles L. v. cap. 11. *ſunt quæſtus & honos, & his contraria*. Notum autem eſt ex rep. Romana, quos motus, & diſſenſiones contentio magiſtratuum pepererit. Vt de Tribunis creandis, de Conſulatu cum plebe communicando, de Iudicijs inter Senatores, & Equites. Quæ omnia hinc longe abſunt, quia plebs egena, & inuida excluditur: cumque ſine quæſtu honores ſint, tenuuiores illis carere facile animum inducunt. Nulla ergo vel minima, tum auaritia, tum ambitio.

Ex quo etiam ſequitur nullas hic iniurias, & contumelias eſſe potentiorum in tenuuiores, quæ vltimæ ſemper ſtetere cauſæ, cur imperia funditus interirent. Et ſi quandoque exiſtunt, quod eſt plane admirabile, ac pene incredibile, acrius, ac ſeuerius patricij ciues puniuntur, quam ex vltima vulgi parte quilibet. Quod optimum, ac ſalutare inprimis conſilium, etſi ab Ariſtotele L. v. cap. x11. inter rationes conſeruandæ Oligarchiæ, traditum ſit, cum ait. *Ditiorum ſi quis contumelioſe inſoleſcat, in hos maiores pœnæ eſſe debent, quam ſi illorum ipſorum*. Ideſt maiorem mulctam, vel pœnam conſtituendam, & infligendam eſſe ditiori, ſiue principi, tenuuiorem iniuria afficienti, vel contumelioſe tractanti, quam ſi plebes inter ſe iniuria afficiant, alter alterum. Hoc tamen ætate ſua minus ſeruatum, tam in Democratia, quam in Oligarchia, grauiter conqueritur idem capite ſequenti.

Ergo ſi quis patricius, quod in tanta fortuna, tantoque eorum numero rarum admodum eſt, vel minima iniuria plebeium afficiat, vel alia

in re, etiam leui delinquat, iudicium ad ſupremum X virorum tribunal ſpectat, vbi quæſtionis ritus ſeueriſſimus, ſecretæ teſtium interrogationes, impenetrabili ſilentio teguntur, & actorum arcana, cæca defenſione, per longas, & ancipites moras trahuntur, res vel inſontibus formidabilis, arctiſſimum diſciplinæ vinculum.

Quare cum ante aliquot annos non leuis ea de re contentio orta eſſet, & in Magno Conſilio agitaretur, pleriſque ægre ferentibus, etiam in leuioribus noxis, ſolos patricios tremendo X virorum iudicio ſubiectos eſſe: cum magna pars aliquid ex antiquo rigore flectendum cenſeret, mitiora ſuadentibus ceſſum eſſet, niſi labantem ordinem Baptiſtæ Nanij Senioris oratio erexiſſet, qui tunc morum integritate, & ſeueritatis fama, Romano Catoni æquabatur. Is eſt Baptiſtæ Nanij minoris patruus quem quarto Gymnaſij moderatorem ſuperi dederunt, ad omnes Europæ Principes ampliſſimis Legationibus intra iuuentam, functum, ciuilis prudentiæ Oraculum. Quæ pars exigua laudum eius queis Hiſtoriarum gloria præcellit. Nec ipſe alienæ laudis indigus, qui cunctis mortalibus admirando illo opere lucem fænerat.

Si quis Venetæ facundiæ, & Senatoriæ grauitatis, ciuiliſque prudentiæ ſimulacrum noſſe cupit, ſenis optimi orationem in Comitio habitam, ſeptimo Hiſtoriarum perlegat. Haud ſcio enim vtrum magis admiraturus ſit, patrui auctoritate, atque eloquentia patricios victos, vt contra ſe ſuffragia ferrent, an fratris filium, nominis, ac virtutis heredem, rem ſeculorum memoria dignam, ita poſteris tradidiſſe, vt pietate in patriam cum patruo certauerit, & dum factum laudat, ipſe omni laude maior viſus ſit.

Quod ſum dicturus leue, & translatitium fortaſſe videbitur, ſed arctiſſimæ diſciplinæ, & rigidi tenoris reputatione, exemplum memorabile. Æqualis ſcilicet, conſtans, & perpetuus ciuium per tot ſecula veſtitus, & cultus, ſicut grauis, & ciuiliter ad pedes fluens, quoddam Romanæ togæ ſimulacrum, ita ſimplex admodum, ac pene horridus, ex vulgari panno, etiam per æſtiuos calores, virilis tolerantiæ index, eo notabilior, quod vt ait ille, adeo à geſtanda lorica degenerauere mores, vt oneri ſit veſtis, & Sybaritica mollitie, in ſericis ſudetur, & virorum corpora pellucens amictus, tegendo denudet.

Quis credat, per mille, ac ducentos, atque eo amplius annos, eodem habitu, cultuque in vna ciuitate ſummos, atque infimos inceſſiſſe, hoc eſt, exceptis Magiſtratibus, quos purpureæ, ac violaceæ veſtis inſignia illuminant, tam Senatores, ac proceres, maximi Imperij arbitros, quam notarios, ſcribas, medicos, & forenſes operas, omnes denique ingenuos ſecundi ordinis, dummodo honeſtæ conditionis, quibus ille habitus placuerit, indiſcreta cultus ſpecie, ſingulari moderationis exemplo, exte

rorum oculos, ac mentem in ſe conuertere, ? Cum totam Italiam in peregrinum, aut hoſtilem cultum degeneraſſe videamus.

Quod plane confirmat, minime omnium mortalium ambitioſos priſcos illos Venetos fuiſſe: & optimam eſſe reipublicæ formam, cuius fundamentum eſt æqualitas. Tum caute prouiſum, ne luxus certamen in immenſum prorumpens, rei familiaris ſcopulus inualeſceret: omniſque inuidia tenuuiorum in diuites, horum contemptus in pauperes tolleretur.

Admirabili planè diſciplina, cui etiam patriciorum ſecuritas innititur. Periculoſum enim eſt, vt aiebat Seneca, ſi quis nobiles numerare inciperet. Quæ quidem libertas, & ſimplicitas, exteris quoque Principibus adeo placuit, vt Gulielmus Mantuæ Dux, Venetias crebro ventitaret, & vt erat patriciorum ordini adſcriptus, in veſte communi, ac vulgari, atque hirto pileolo, ſolus, ne ſeruulo quidem comitatus, veluti exoneratus fortunæ ſuæ mole, non in foro modo cum cæteris otioſè ambularet, ſed vicos, & ſemitas perreptans macellum ingrederetur; & quandoque animi cauſa, iurgaretur cum piſcatoribus, & cum nauiculatijs in traiectu de naulo moroſe contenderet, tunc impenſe gaudens, cum cymbæ remiges, genus hominum procax, & contumelioſum, fraudata, aut dimminuta mercede, eum conuicijs inceſſerent, nec auaritiam modo, ſed ſcapulas tuberoſo gibbo deformes, exprobrarent. Quo vitæ genere nullum ſibi iucundius, ac dulcius vnquam obtigiſſe prædicabat, eſſe enim magnæ fortunæ magnam ſeruitutem. Adeo libertas illis quoque dulcis eſt, qui addicto populorum ſeruitio gaudent.

Ergo tot ſeculis amictus ratio eadem, ac ſimplicitas conſeruata eſt cum libertate, imò propter ipſam. Quare cum ante aliquot annos, leuis aliqua immutatio ſenſim irrepſiſſet, exemplo veſtitus ad veterem formam rigide exactus eſt. Duplex enim amictus ratio eſt, ſiue indumenti ſuperioris forma. Altera laxiores pendulas decore manicas habet, quæ quia Ducis geſtamen eſt, Ducalis vulgo appellatur, qua etiam maiores magiſtratus, Præfectique, & Vrbium Rectores inſigniuntur. Altera ciuibus omnibus communis, ſtrictis ad cubitum manicis, & ex panno.

Paulatim igitur mos increbuerat, vt Conſiliarij, & Probuli, ſiue Præconſultores, quique legationibus functi erant, peracto munere in eadem veſte incederent, & depoſito Magiſtratu, atque obita legatione, inſignia emeriti honoris geſtarent, pullo tamen colore. Quæ res primarios ciues excitabat, vt promptius honores capeſſerent, & æquiore animo magiſtratuum, & legationum graues impenſas tolerarent. Quod id genus honeſtamenti, laborum, ac ſumptuum merces eſſet.

Verum id graue erat reliquorum ciuium oculis, qui ſicut parendi, &

imperandi viciſſitudo libertatis fundamentum eſt; ita ſua magiſtratibus inſignia eſſe æquum putabant, ſed ijs peractis, nullum inter ciues niſi in virtute debere eſſe diſcrimen. Res primo in circulis inter muſſantes, diſceptantium otio, & rumuſculis tranſmiſſa eſt: dein ad magnum conſilium delata, nec leui contentione agitata, cum finem habuit, vt exceptis D. Marci Procuratoribus, Duciſque fratre, ac filio natu maximo, quibus id lex permittebat, id veſtis genus reliquis interdictum ſit. Et quamuis ſequentibus Comitijs, de moderando decreto actum fuerit, impetrari non potuit, vt quidquam aduerſus priſcos mores, & æqualitatis iura ſtatueretur. Mirum dictu, tam prompta, atque addicta parendi diſciplina, vt ſequenti die plurimi ſummis honoribus & legationibus functi, in communi veſte, ſtrictis ad cubitum manicis, viſi ſint, canitie magis, ac frontis dignitate, atque ingentibus in rempublicam meritis, quam cultus inſignibus venerandi. Rem totam narrat idem Nanius Hiſtoriarum X.

Res quidem, vt dixi prima ſpecie leuis: ſed Ariſtotelis præceptum eſt, ſæpius inculcatum, in rerumpublicarum conſeruatione, nihil vel minimum ſpernendum eſſe: quod ſæpe res leuis neglecta, rempublicam, atque imperium ſubuertit. Sed quid opus eſt vetera exempla arceſſere, ſi duo recentiſſima in oculos incurrunt? Nam, non ita pridem, cum duo, patricius vnus, alter ciuis honeſtus, exiguum quid in veſtitu mutare auſi eſſent, nempe manicas pauliſper decurtando, ac neſcio quid ornamenti, atque inſtitarum addendo, re ad Ephoros, ſummum tribunal delata, alteri ex his togæ vſus interdictus, iuſſuſque per aliquot dies, frequentiſſima concione, edito loco ſtare in palliolo, omnium oculis, ac ludibrio expoſitus. Alteri autem ſeuere denunciatum eſt, futurum vt nobilitate mulctaretur, cuius inſignia procaciter deturpare auderet. Quin ipſum ſarcitorem adeſſe iuſſerunt, vehementer increpitum, ſi poſtea aliquid in vetere cultu immutare ſibi licere exiſtimaret, futurum, vt aquas ſalſas potaret, pluſquam illi neceſſe eſſet. Qua denunciatione, & proximi exitij horrore perfuſus miſer ille, penè exanimis concidit.

Sed longe illuſtrius Venetæ diſciplinæ exemplum eſt, promptiſſima, ac penè cæca parendi deſtinatio. Nam cum adſcititia capillamenta comæque venales paſſim inuectæ eſſent, & mortuorum caluarijs detracta violati ſepulchri ſpolia, immani pretio pararentur, & viliſſima naturæ pars auro contra penſaretur, vt iam ducentis, & trecentis aureis flauicomum Corymbum conſtaret: hanc perditi luxus inſaniam publica animaduerſione dignam ijdem Ephori cenſuerunt. Cum præcipue ipſa patricia iuuentus, mangonio hoc fuco laſciuiret. Itaque ſeueriſſimo edicto ſutilium crinium laruæ proſcriptæ ſunt. Poſtero die ingens virorum, ac iuuenum multitudo, criſpa, & flauente cæſarie paulo ante colla flagellante,

gellante, ſpoliata, inhoneſto caluitio deformis, ac veluti in vltimum naufragij votum deraſa, in ipſo foro, ſpectantium riſu excepta eſt. Nec Venetijs modo, ſed per totum continentis imperium eadem lex, iuuenum, ac ſenum canitiem occultantium capita, veluti hiemps populatá eſt, depileſque ac glabros Iſiacorum in morem, ante ora ciuium traduxit.

Sed præcipua cauſa, quod tantum æui Veneta reſpublica durauerit; eſt quia plebem infimam, opifices, atque operarios, & prophanum vulgus à ſacris dominationis arcuerit, contra quam Romæ, & Athenis factum, quod tandem vtriſque interitum attulit. Admirabili plane prudentia facta ciuium definitio eſt, generis nobilitate potius, quam cenſu, ac diuitijs. Nam vt præclare Cardinalis Contarenus diſputat, ciuitas ciuium ſocietas eſt. Nec tamen omnes hi homines, quibus indiget ciuitas, aut qui intra mænia Vrbis habitant, ſunt habendi pro ciuibus, neque iure in ciuium numero ſunt collocandi. Opificibus enim cuique ciuitati eſt opus, alijſque permultis, qui mercede operas locant, & priuatis demum ſeruis. At nullus horum ciuis verè dici poteſt. Nam ciuis liber eſt homo. Hi vero omnes ſeruitutem ſeruiunt, vel priuatam, vel publicam. Mercenarij namque, & opifices omnes, veluti ſerui publici haberi debent.

Quamobrem reipublicæ Venetæ conditoribus ſapienter cautum eſt, ne vniuerſus populus ſummam poteſtatem habeat in republica, quam longe optimam voluerunt. Summam enim turbationem, populareſque tumultus frequenter concitari in illis ciuitatibus, in quibus ſumma rerum eſt apud populum. Quod in quibuſdam rebuspublicis obſeruatum legimus, & à nonnullis philoſophis præceptum. Hoc tamen illi remedium excogitarunt, ſi ius hoc adminiſtrandæ reipublicæ definiretur cenſu, atque copia rei familiaris: vt ſcilicet pauperes, ideſt magna pars excluderetur. *Verum in maximas difficultates*, inquit Contarenus, *nec mediocria incommoda inciderunt. Nam frequenter euenit, vt infimæ plebis homines comparent ſibi ingentes facultates. Quippe qui plerunque ſordidis artibus, officijſque minime liberalibus, dant operam augendæ rei, neque vnquam ſibi parcunt, quin potius genium ſuum fraudant, vt opes accumulent. Contra ingenui ciues, & liberaliter educati, pauperes fiunt, ſeu aduerſa fortuna, vt frequenter accidit: ſeu quod liberalibus ſtudijs addicti, vniuerſam hanc augendæ rei familiaris curam negligunt. Qua ratione fit, vt ſordidi homines, qui nil aliud ſapiunt, quam lucrum, bonarum vero artium expertes ſunt, paulatim aucto cenſu rempublicam capeſſant, ingenui vero, ac liberaliter educati, opibus ſenſim deficientibus, à iure ciuium decidant. Inde maximas ſeditiones oriri, ac rempublicam turbari neceſſe eſt.*

Quare Vrbis Venetæ conditores, vt idem ſubijcit, *ſapientiſsimi homines*,

ne ſua reſpublica quandoque in has calamitates incideret, hanc definitionem publici iuris, generis nobilitate longe melius fieri cenſuerunt, quam magnitudine cenſus. Ea tamen temperatione, ne tantum ſupremæ nobilitatis viri hoc ius haberent, illud enim paucorum potentia fuiſſet, non reipublica, ſed etiam quicunque alij ciues non ignobiles, excluſis opificibus, ac ſellularijs, inſtitoribus, & id genus hominibus.

Quales autem iſti ſint docet Ariſtoteles Lib. I. cap. VII. hoſque omnes finitam ſeruitutem ſeruire ſtatuit capite ſequenti. Et ita inter omnes conuenit, ciuitatem ab his operibus, & muneribus vilioribus liberam, & immunem eſſe oportere; & ciues ipſos nulla ſordida, vel illiberali arte fœdari debere. Idem libro, & capite tertio, in quadam republica opificem, & operarium poſſe eſſe ciuem tradit, vt in Democratia; in quibuſdam vero nefas eſſe, vt in Ariſtocratia, in qua honores tribuuntur, ex virtute, & dignitate. *Neque enim fieri poteſt*, inquit, *vt qui vitam agit opificis, vel operarij, ſtudia virtutis excolat.* Et lib. VIII. cap. II. vbi de puerorum inſtitutione agit, ea diſcenda tradit, quæ & vtilia ſunt, nec ſordidum eum, in quo ſint, efficiant. Opus autem, atque munus id demum habendum eſſe, eamque artem, ac diſciplinam, quæ ad vſum virtutis liberorum hominum minus aptum corpus, vel animum, mentemve reddant. *Itaque artes eas, quæ corpus inquinant, ſordidas vocamus; mercenariorumque officinas, torpentem enim animum abiectumque reddunt.*

Et quoniam, vt dicebamus, in Democratia opifices, & ſellularij ad rempublicam admittuntur, hinc eſt quod Ariſtoteles Lib. V. cap. III. inter cauſas mutationis rerumpublicarum [illegible] recenſet, ideſt vilitatem, & contemptam vitæ rationem, ſiue genus: nimirum ſi magiſtratus ſordidiſſimo, ac viliſſimo demandentur, indignantibus honeſtioribus. Quam vilitatem, ac prophanationem magiſtratuum olim Romæ patricij aduerſus plebem ſæpe exaggerabant, vt videre eſt non ſemel apud Liuium.

Optime ergo, & ſapientiſſime Veneti à publica re adminiſtranda opifices, ac plebem ſubmouerunt, quos cum Romani admiſiſſent, ſtatum mere popularem reddiderunt, quæ cauſa interitus. Sed quia video, a viris doctis dubitatum eſſe, vtrum ſcilicet opifices, atque artifices, ciues Romani eſſent, & reipublicæ participes, an ab honoribus arcerentur, de hoc quoque paucis diſputandum eſt, ex eo enim intelligetur an Reſpublica Romana fuerit mere popularis, & ideo Democratia, ideſt Politiæ aberratio. Hanc quæſtionem fuſe pertractat doctiſſimus Sigonius, qui hoc in loco Italum nomen vltra Sauromatas extendit.

Primum omnium ſatis conſtat ex Plutarcho in vita Numæ, ab eo Rege

artium diuiſionem excogitatam, tibicinum, aurificum, fabrum, tin-ctorum, ſutorum, cerdonum, figulorum, atque aliorum, iiſque artibus Collegia conſtituta. Quæ Collegia vſque ad Auguſti tempora perdurarunt. Hoc indicare videtur, ciues Romanos, qui de plebe erant, artes operoſas, ſordidas, atque humiles tractaſſe. Nam ciues in collegia diuiſi ſunt. Sed huic opinioni repugnat auctoritas Dionyſij Halicarnaſſei, qui duobus in locis artes huiuſmodi longe à ciue Romano amouet. Vnus eſt vbi de Romuli inſtitutis diſputat. *Romulus*, inquit, *ciuibus Romanis agriculturam, & artem militarem commiſit: ſeruis vero, & peregrinis artes ſellularias, & turpium voluptatum miniſtras: quippe quæ, non magis corpora, quam animos eorum, a quibus colerentur, læderent: ac diu hæc artificia infamia flagrarunt apud Romanos, neque ab vllo indigena Romano ſunt exculta.* Alter locus Halicarnaſſei eſt, vbi de ſeptimo luſtro differit, aliquot annos poſt Reges exactos. *Ciuium*, inquit, *hoc luſtro, qui tum puberes eſſent, ſuper centum millia cenſa, mulierum autem, ſeruorumque, & mercenariorum, ac ſordidas artes exercentium (ſi quidem Romanorum nemini cauponariam, aut operoſam artem tractare licet) triplo plus, quam turba ciuilis.*

Hac tanti viri auctoritate quæſtionem reddi ad explicandum difficilem fatetur Sigonius Lib. I. de iure ciuium Rom. cap. XII. ſed ita occurrendum exiſtimat. Primum Romuli inſtitutum, cuius ille meminit, aut Numæ, aut Seruij inſtituto fuiſſe abrogatum. Non enim ſeruos, aut peregrinos in Collegia digeſſiſſe dicuntur, ſed ciues Romanos. Probro tamen primis temporibus eiuſmodi artium vſum fuiſſe, atque inde factum, vt à veris & germanis ciuibus ſecernerentur, non negat. Quoniam huiuſmodi operibus occupati homines, neque ad militiam propter ignauiam vocabantur, nec fere tributi vllo onere premebantur, propter tenues ipſorum opes, & ideo, ne in cenſum quidem à Cenſoribus fuiſſe relatos, vt neque pueros, neque mulieres. Si quidem cenſus ad hoc inſtitutus erat, vt ciuium numerus, qui ad bellum conſcriberentur, conſtaret, & pecuniæ magnitudo, qua bella ſuſtentantur, cognoſci poſſet. Et ideo pueri, & mulieres non cenſebantur, quod non apti ad militiam eſſent. Opifices vero, quia ferme bona non iis ſuppeterent, quibus cenſerentur, & pro capite tantum tributum penderent, atque ita capite cenſi dicti.

Quod ſi non licebat, inquit, Sigonius, *ciui Romano opificium exercere, eaque in manu tantum peregrinorum, & ſeruorum erant, cum peregrini ciuitate, ſerui libertate donarentur, nemo tum ciuitatem, tum libertatem magnopere expetiſſet, ſi deſiſtere ab arte debuiſſent: & lucrum ab eadem redundans amiſſum fuiſſet. Verum quidem eſt, opifices, ac ſellularios a militia fuiſſe repulſos, conſuetudine, non lege, quod parum bello idoneum genus illud*

pute-

putaretur, vt indicat Liuius Lib. VIII. *Quin opificum*, inquit, *vulgus, & ſellularij, minime idoneum militiæ genus exciti dicuntur*: & Salluſtius de C. Mario bello Iugurtino Conſule. *Plebs ſic accenſa eſt, vt opifices omnes, agreſteſque, quorum res, fideſque in manibus ſitæ ſunt* (non in bonis) *relictis operibus frequentarent Marium*. Putandum ne eſt, Conſules opificum turbam centuriaturos fuiſſe, ſi ſerui, aut peregrini fuiſſent: quorum ſerui nunquam, peregrini, non in legione, ſed in auxilijs meruerunt?

Raro quidem id vſurpatum: neque enim id genus hominum conſcribi, qui non idonei militaribus operibus videbantur, ſolebat, niſi aut aſperis in rebus, aut à Conſule ambitioſo, vt Marius erat; qui etiam capite cenſos, infimam plebem centuriaſſe dicitur. Eoſdem autem à tributo immunes fuiſſe, non quod ciuitatis, ſed quod facultatum eſſent expertes, docet Plutarchus, qui ait, Publicolam pauperes ciues, tributi conferendi onere ſolutos eſſe iuſſiſſe, vt alacrius opificia ſua tractarent. Cur igitur à Cenſoribus teſte Dionyſio ſint præteriti, nihil dubij relinquitur.

Ceterum poſtquam plebi vniuerſa reſpublica communicata *eſt*, *eos* optimo iure ciues fuiſſe oſtendit Sigonius. Duo enim præcipua ciuium Romanorum iura fuerunt, ſuffragij ferendi, & adipiſcendorum honorum. Vtrumque opifices obtinuiſſe certum eſt. Suffragium in tribu erat. Scribit autem Liuius Lepidum, & Nobilem Cenſores mutaſſe ſuffragia, regionatimque generibus, cauſis, & quæſtibus Tribus deſcripſiſſe. Quæſtus Collegia plebis intellexit: vnde Cicero, ſe Collegiorum ſuffragijs in patriam reuocatum gloriatur, & pro Domo ſua, ait homines in Campum, non tabernis, ſed municipijs clauſis veniſſe: oſtenditque opifices, clauſis tabernis in campum ſuffragij cauſa ventitare ſolitos. Iam vero cur hæc pars populi à ſeditioſis hominibus tantopere coleretur, niſi aliquid ponderis ad Comitia habuiſſet? Ita Cicero pro Domo, de Clodio ait. *Quem tu populum, niſi tabernis clauſis, frequentare non poteras* Vnde in Lucullo idem ait, ſeditioſos Tribunos, claudi tabernas iubere ſolitos eſſe. Nimirum vt plebem infimam, quæ in tabernis eſt, quæque impelli ad quodcumque facinus poteſt, ſecum haberent.

Hæc de ſuffragio. Ceterum opifices etiam ad magiſtratus admiſſos, nulla dubitatio eſt. Nam Rupilius ex operis, ſiue miniſtris publicanorum, Conſul factus eſt, imperium in Sicilia geſſit, ac triumphauit. Quid Varro ille, quo Conſule clades Cannenſis illata eſt, teſte Liuio, *loco non humili ſolum, ſed etiam ſordido ortus? Patrem lanium fuiſſe ferunt: ipſum inſtitorem mercis, filioque hoc ipſo in ſeruili eius artis miniſterio vſum*. Num vero hi minus ciues fuerunt, quia in ſordido quæſtu verſati ſunt, quam quilibet è patricijs? cum etiam Conſulatum adminiſtrauerint. Atqui

M.Scau-

M. Scaurus, qui Conſul, & Cenſor fuit, nonne patrem habuit, qui carbonariam ob paupertatem, Auguſtus auum, qui argentariam fecit? nemo autem eos peregrinos dixit.

Quid plura *Ventidius Baſſus* apud Gellium L. xv. 4. *obſcuro loco natus, & captiuus in triumpho ductus, & cum victum ſibi ægre quæreret, eum ſordide inuenit, comparandis mulis, & vehiculis magiſtratibus, qui prouinciam ſortiti eſſent. Mox Cæſaris fauore ad Preturam, & Conſulatum euectus, primus, ac ſolus de Parthis triumphauit. Quæ res adeo intolerabilis populo Romano viſa eſt, qui Ventidium meminerat, curandis mulis victitaſſe, vt vulgo verſiculi iactarentur. Concurrite omnes augures, haruſpices, Portentum inuſitatum conflatum eſt ingens, Nam mulos qui fricabat Conſul factus eſt.*

Ergo Romana reſpublica mere popularis, orbis terrarum domina, Democratiæ fato, vnius præda, & mancipium facta eſt. Veneta Politia, ex Ariſtocratia, ac populari ſtatu mixta, & temperata, ſicut nominis gloriam iiſdem, ac orbis terminis circumſcripſit, ita cum Orbe duraturam non iam ſpes eſt, ſed voti fiducia.

FINIS.

99 957266

[illegible]